

2001-06-22 – SS Ioannes Paulus II – Consitutio ‘Ritus Antiocheni Syrorum’

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

CARACEN. RITUS ANTIOCHENI SYRORUM*

**NOVUS EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS
ECCLESIAE ANTIOCHENAE SYRORUM IN VENETIOLA CONSTITUITUR**

Ecclesiales communitates, in orbe dissipatae terrarum, quamvis varias prae se ferant species formasve, in unum tamen conspirant et fidelium spiritalem prosperitatem universae persequuntur. Nos autem omnium Ecclesiarum tueri volumus legitimas religiosas consuetudines itemque contendimus et studemus, ut floridiorem statum per proprium ritum illae adipiscantur. Nunc de gente cogitamus ritus Antiocheni Syrorum in Venetiola deque eiusdem commodiore condicione. Itaque, postquam hac de re Beatissimum Ignatium Petrum Adbel-Ahad, Patriarcham Antiochenum Syrorum, cum Synodo Episcoporum eiusdem Ecclesiae, itemque Episcoporum Venetiolae Conferentiae Praesidem atque Legatum Pontificium cuius interest, necnon Venerabilem Fratrem Nostrum Ignatium Moussa S.R.E. Cardinalem Daoud, Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefectum, audivimus, iudicavimus opportunum in Natione quam supra diximus novum Exarchatum Apostolicum condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novum Exarchatum Apostolicum pro fidelibus ritus Antiocheni Syrorum in Venetiola constituimus atque congruenter erigimus. Ad haec tandem perficienda consuetudines iuraque consentanea serventur et quae a Codice Orientali praecipiuntur, nihil quibusvis rebus minime officientibus.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die altero et vicesimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo primo,
Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IGNATIUS MOUSSA card. DAOUD
Congr. pro Ecclesiis Orientalibus Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*
Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost. s.n.*

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 11, pp. 740-741